


Dissertatio Ivridica De Pacto De Qvota Litis Invalido

Francofvrti ad Viadrvm: Typis Ioannis Christiani Winteri, [1770]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780084757>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (95)

1. Boek
2. Dorn
3. Genl
4. Sav
5. Pudo
6. Pudo
7. Roth
8. Breu
9. Nyli
10. Wale
11. Ludor
12. Est
13. Gre
14. Böh
15. Tur
16. Rav
17. Rich
18. Felle
19. Richt
20. Mad
21. Spitz
22. Spitz
23. de or
24. Men
25. Hon
26. Hell
27. Wale
28. Mad
29. Sav
30. Sav
31. Sav
32. de r
33. Sch
lat

1. Boechmar de restricta de bonis suis in favorem secundi conjugis disponendi facultate.
2. Torn de acrio alieni inter conjuges norimbergenses communiione.
3. Gerlach ad l. 38. pr. §. de condict. indebiti.
4. Savies de differentiis juris prudentiae et politicae quae vulgo in Solignij dicitur.
5. Rudolph de vetere legum collectione vulgo jus Caesareum dicta.
6. Rudolph de accessione picturae.
7. Roth de successione conjugum Weissenburgo - Nordgaviensium.
8. Breuning de jure vitae et necis principis.
9. Nylius actuanus peccans in legem judicariam de amicabile compositione tentanda.
10. Walch de reliquiis communiionis bonorum inter conjuges Brunovicenses.
11. Ludovici de juramento compensationem non excludente.
12. Estor juris scientiae privatae Hassiae superioris specimen.
13. Breuning de juramento jure gentium incognito.
14. Bohmer differentia legatorum purorum et non purorum praecipue in tractu quorundam legis Falcidiae.
15. Turin an possessio lascivica liberet à satisfactione.
16. Rav. historia juris civilis de peculio.
17. Richter de oratione Antonii de donationibus inter virum et uxorem confirmandis.
18. Keller de successione fabricensium.
19. Richter de jure thesauri a mercenano inventi.
20. Madihn de vera indole agrorum vectigalium secundum J. R. doctrinam.
21. Spitz de modis quibus usus fructus extinguitur.
22. Spitz ad l. 15. §. ult. in fin. ff. de usufructu.
23. de ortu et progressu servitutis secundum jus naturae et civile. Wiefand.
24. Mertzen de usufructu accrescendo.
25. Hommel de processu possessorio humanissimo.
26. Hellfeld de seculari jurisdictione in clericos delinquentes.
27. Walch de laicis judiciis veterum Germaniae ecclesiasticorum scabinis.
28. Madihn variae juris observationes.
29. Savies de interpretatione et extensione l. 2. l. de rescind. vendit.
30. Savies de pacto de quota litis invalido.
31. Savies de justo termino solutionis quando in instrumento obligationis solutioni terminus non est praefinitus.
32. de remissione delinquentium ad forum criminis.
33. Schlegendal de originibus legitimae ad imitationem legis Falcidiae interpretatione prudentium introductae.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

DISSERTATIO IURIDICA
DE
PACTO DE QUOTA LITIS
INVALIDO

QVAM
PRAESIDE
IOACHIMO GEORGIO DARIES
POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIS INTIMIS, PHIL. ATQVE
IVR. DOCTORE ET IN ILLVSTR. VIADRINA PROF. PVBL. ORDIN.
SOCIETATIS SCIENTIARVM ET ARTIVM, QVAE IN VIADRI-
NA FLORET, PRAESIDE, ETC. ETC.

IN AVDITORIO IURIDICO
D. SEPTEMBRIS MDCCLXX.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITTIT
A V C T O R
FRIDERICVS LEOPOLDVS BOHM
SERVEST.



FRANCOVRTI ad VIADRVN
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.

50.

DISSERTATIO IURIDICA
DE
PACTO DE QUOTA LITIS
IN
INVENIENDO

IOACHIMO GEORGIO DARIES
PRAESIDE
POTENTISS. NORV. REG. & CONSULENTISS. IURIS ATORIS
EVI. DOCTORIS ET IN IURIS IURIS. NOR. ET. ORSIN.
SOCIETATIS SCIENTIARUM BY. ACTIV. QVAER. IN. V. ORS.NAT. ORS. PRAES. ORS. PRAES. ORS.IN ABBATIA IURIDICA

PLACIDO FREDTORIS EXAMINIS
FRIDERICUS FREDOLIVS BORN



FRANCORUM & KINDRUM
HIS LOA NIS CHRISTIANI WINTERR
STAB. RIG. TYPOG.

30
V I R O
ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
IOANNI LVDOVICO
DE DORVILLE

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS
MINISTRO STATUS INTIMO

IMMENSIVM IVDICII CAMERAE

ECCLESIAE REFORMATAE

ET

SVPREMI GALLICI DIRECTORII ET CONSISTORII
ECCLESIAE CATHEDRALIS

QVIN IIMO

GYMNASII IOACHIMICI DIRECTORII
PRAESIDI PRIMARIO

GALLICI SVPREMI IVDICII, MONTIS PIETATIS ETC.
DIRECTORI

DOMINO HEREDITARIO IN KERZENDORF

RELIOVA

MAECENATI SVO BENIGNISSIMO

NEC NON
V I R O
PERILLVSTRI CONSVLTISSIMO AMPLISSIMO
D O M I N O
GEORGIO CHRISTIANO ERI-
CHIO RVDOLPHI
AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGI
A CONSILIIIS INTIMIS
IVDICII CAMERAE SVPREMI
CONSILIARIO
PATRONO ATQVE FAVTORI
DOMINIS SVIS INDVLGENTISSIMIS
PRIMVM HOCCE STVDIORVM ACADEMICORVM
SPECIMEN
IN
DEBITVM OBSERVANTIAE ET CVLTVS DEVOTISSIMI
TESSERAM
CVM VOTO OMNIGENAE FELICITATIS
ET
LONGINQVAE SORTIS IN MORTALIBVS
D. D. D.
CVLTOR DEVOTISSIMVS
FRIDERICVS LEOPOLDVS BOHM.



§. I.



Lege Cincia de Donis et Muneribus a M. Cincio Alimento anno ab V. C. DXLIX. Cornelio et Sempronio Coss. lata, *ne quis ob causam orandam donum munusue caperet*, cautum fuisse legimus. Hancce vero legem quoad nonnulla capita ex parte sensim sensimque in desuetudinem abiisse, nullus fere est, qui ignoret, et demonstrare superuacaneum esset, FRID. BRUMMERO L. Cinciae commentatore eruditissimo. Nosse sufficiat, aduocatum s. personam, vni litigantium in proponenda causae iusticia adstantem, hodie honorarium recte exigere. Qui suis enim operis de altero bene meritus est, nihil aequius arbitror, quam praemium isti vt tribuatur. Operas equidem gratis praestare nemo

A

nemo



nemo obligatur; hinc nec clienti aduocatus, licet hic, culpa sua haud interueniente, causa cadat.

§. II.

Honorarium, aduocato a cliente soluendum, vel conuentione aduocati atque clientis determinatum; vel a superiore praescriptum est; vel arbitrio iudicis relinquitur. Priori casu cliens aut certam pecuniae quantitatem per auersionem pro omnibus laboribus lite finita soluendam; aut annuum salarium, anno praeterlapso pro operis praestitis debitum, promittit; aut ad certam litem quantitatem, rebus feliciter gestis dandam; aut ad rem quandam, vel pecuniae summam, in casum victoriae praeter honorarium offerendam, sese obligat.

§. III.

Omnes hi innominati contractus, verbo, cunctae ac singulae conuentiones, in fraudem legis Cinciae tendentes, hac olim indistincte prohibita fuerunt. Ast postea, honorario iure civili permisso, et usu fori in hunc usque diem comprobato, pacta per auersionem, et de annuo salario valere inceperunt; pacta litem autem in incertum litem euentum inter alia in specie ne celebrentur, fuit vetitum. Quibus vel pars quota, vel pars quanta, vel certa patrimonii quantitas cauta ex euentu litem promittitur, absque legis violatione valide haec iniri nequeunt. *L. 6. §. 7. et L. 7. D. mandat.* Ratio in promptu est, quia illa pacta aduocatos ad delinquendum inuitare censentur, qui ne gratis operas praestent, sed victoriam reportent,
omnia

omnia media, licita, et illicita, adhibitori esse praesumuntur. Praeter eam eo non licent consilio, ne aduocati clientes eorum opis egentes sceleratis depectionibus spolient atque denudent. *L. I. C. Th. de postul.*

§. IV.

PACTVM DE QVOTA LITIS, quo cliens in casum victoriae aduocato dimidiam, tertiam, aliamue partem eius pollicetur, quod per sententiam se consecuturum esse sperat, hodie locum sibi vindicare, strenue adferit Vir post obitum adhuc Perillustris I. H. BOEHMERVS *Consul.* Tom. II. P. I. Resp. CXIII. cum eoque paucissimi alii huius adfectatores, in eandem transeuntes sententiam. Statuit ille magni nominis Ictus, prohibitionem iuris Romani intuitu huius pacti ad casus obuios recte adplicari non posse, quod ratio pacti prohibiti in *L. Cinc.* sit quaerenda, ne quis ob causam orandam donum munusue caperet. Ratio vero cessat; ergo etiam dispositio. Cessante enim legis Cinciae ratione, cessat legis dispositio, et hac exule in fraudem ipsius nihil committi potest, ex quo solo tamen fundamento pactum de quota litis apud Romanos vetitum fuit. Hinc de quota litis nostro equidem tempore valide pacisci potest, praxi Germaniae notoria teste. Sed adferata haec an veritate conueniant, quibusque stabilita sint fundamentis? dispiciamus.

§. V.

Cessante legis ratione, quaeritur, vtrum eius cesset dispositio? Dubito, fore plerosque, huius negationem in

A 2

dubium



dubium vocare qui gestiant. Ratio historica et causa impulsiva prohibitionis cuiusdam cessare potest, ideoque vero ratio adhuc manet moralis vel politica generalis, aut causa finalis, qualis in prohibitione pacti de quota litis omnino deprehenditur. Quamvis enim omnis expiret legis ratio, nihilo tamen minus prona inde haud fuit consequentia, eius cessare dispositionem, ceu praeclare monuit Perill. de CRAMER in *den Wetzarischen Nebenstunden* Part. VIII. n. 7. Sed ut de contraria constet imperantis voluntate, necesse est. Obligant leges semel latae, donec princeps eas reuocet. vid. I. H. BOEHMER. *Digest.* Lib. I. Tit. III. de *LL. Scit. et long. consuetud.* §. 16. Reuocatio ex principis voluntate, tum expressa, tum tacita, cognosci potest. Hinc leges iterum tolluntur vel lege, vel consuetudine contraria. *L. 32. §. 1. in fin. D. de LL. Scit. et long. consuetud.* Sola cessans ratio, dispositio ut exulet, effectum producere minime valet. Si Rex noster Potentissimus hac fortassis ex ratione, ne, iam existente frumenti inopia, annonae difficultas excresceret, de non e regno exportando frumento legem tulisset, tantum abest, ut prohibitio successu temporis, regno frumenti copia abundante, omni destituatur obligandi vi, ut eadem potius gaudeat, subditosque habeat quam obstrictissimos; nisi Regis Serenissimi voluntas in aprico sit contraria. Cessante legis ratione eiusdem dispositionem cessare, si adfirmandum esset, quid inde confusionis enasceretur? Ratione enim in lege haud expressa, quilibet fere subditorum, in primis infima fex plebis, modo hanc, modo illam pro vera haberet. Qua ex ipsius sententia cessante, legi non amplius obtemperaret,

peraret, sed sub praetextu, quod ratio quia exularet, dispositio etiam exspiret, tutum sese existimaret ac securum. Si rem oculis intueris philosophicis, quod cessante ratione dispositio cessat, verum quidem est. Quando enim id esse definit, cur lex lata est, tunc etiam lex non potest non evanescere. Aliter vero se res habet, si *trutina iuridica* eam examinas.

§. VI.

Legis Cinciae rationem penitus exulare, lubentes concedamus. Quid inde? Dispositio nihilo tamen secius eatenus valet, quatenus non est siue derogata, siue abrogata. De abrogatione in totum nec in Pandectis, nec in Codice, nec alibi lex nobis sese obuiam dat, sed ut postea videbimus, quoad prohibitionem pacti de quota litis confirmatio potius tum in Digestis, tum in Codicibus, et Theodosiano, et Justiniano, et tam in Sanctionibus Imperii, et maiori parte Principum Constitutionum, vel maxime omnibus reperitur, quam in foris magis magisque inualescit.

§. VII.

Ponamus, legem Cinciam prorsus esse abrogatam, generalis tamen pacti de quota litis multis vicibus sancita est prohibitio 1) *L. 53. D. de pact.* „Sumtus quidem pro-rogare litiganti honestum est: pacisci autem, ut non quantitas eo nomine expensa cum usuris licitis restituatur: sed pars dimidia eius, quod ex lite datum erit: non licet.“ 2) *L. 6. §. ult. ff. mandat.* 3) *L. 7. ff. mand.* 4) *L. 1. §. 12.*

A 3

§. 12. D. de extraord. cognit. „Si cui cautum est honorarium, vel si quis de lite pactus est, videamus, an petere possit? Et quidem de pactis ita est rescriptum ab Imperatore nostro et Diuo patre eius: Litis causa malo more pecuniam tibi promissam ipse quoque profiteris, sed hoc ita (ius) est, si suspensa lite societatem futuri emolumentum cautio pollicetur.“ Insuper praeter legem Cinciam, praeter S^cta Augusti, Claudii, Neronis, Traiani, Rescriptum Seueri et Antonini Bassiani de foediss. aduocator. pactionib. cum client. multae extant constitutiones posteriorum Imperatorum.

- a) Gordiani A. 241. in L. 3. C. Just. de postul. de honorariis aduocatis ad certum modum debitis et maiori summa cauta quasi mutua.
- b) Constantini A. 325. in L. 5. C. de postul. etc. dicens: „Si qui aduocatorum existimationi suae immensa, atque illicita compendia praetulisse sub nomine honorariorum ex ipsis negotiis, quae tuenda susceperint, emolumenta sibi certae partis cum graui damno litigatoris et depraedatione poscentes fuerint inuenti: placuit, ut omnes, qui huiusmodi saeuitate permanserint, ab hac professione penitus arceantur.“
- c) Constantini A. 344. in L. 2. C. Just. de lucr. aduocat.
- d) Valentin. et Valent. A. 368. in L. 6. §. 2. C. de postul. etc.
- e) Dioclet. et Maximil. A. 294. in L. 15. C. de procurat.

f) Co-

f) Eorundem in *L. 20. C. mand.*

g) Constantini M. *de consceler. advocat. de pecc. etc.* A. Chr. 326. in *L. I. C. Th. de postul.* „De quota litis pacisci non licet: sunt enim consceleratae huiusmodi passiones,

§. VIII.

Sunt nonnulli, qui haec omnia tamiam prolata adfirmantes in medium prodeunt. Ast aliud, inquiunt, secundum *NOVELL. CXXIV.* obtinet. Quum enim advocati publicum salarium a principe acciperent, nihil seu rei cuiusdam, seu pecuniae a clientibus pro patrocinio ipsis dari licebat, eoque ipso omnes advocati cum cliente passionibus dirimebantur. Facultate autem honorarium exigendi advocatis hodiernum facta, pacta etiam, cuiuscunque sint generis, inter advocatum atque clientem conventa, vim suam retinent. Respondetur: ipsum quidem Iustinianum Imperatorem in *NOVELL. CXXIV. Cap. I.* constituisse, litigatores ut iurent: *quod nihil penitus iudicibus aut patrocinii causa ipsis, vel alii cuicunque personae pro hac causa quolibet modo dederint, et promiserint, aut postea daturi essent, vel per se, vel per aliam quamcunque personam.* Verum hac constitutione honorarium advocatis omnino non eripuit, eo potius in adiecta clausula exempto,

exceptis iis, quae propriis advocatis pro patrocinio praestant, aliisque personis, quibus nostrae leges dare dispo-
suerunt.

Imperatoris voluntatem eo spectasse, ne iudices muneribus



bus corrumpantur, et aduocati cum clientibus de lite turpiter paciscantur, luce meridiana clarius est. Ad quas enim personas verba

vel alii cuiunque personae pro hac causa quolibet modo dederint et promiserint etc.

melius, quam ad aduocatos, procuratores, et testes adplicari queunt? Si ad iudicum mulieres, liberos, seruos, aliosue adplicanda essent, in Cap. II. Imperator dispositurus non fuisset:

Si quis autem ex litigatoribus dixerit, se dedisse alicui aut promississe, et personam declarauerit, et hoc probauerit: ipse quidem in euentu litis veniam mereatur: qui vero accepit, aut promissionem suscepit, aut ei probetur: si quidem pecuniaria sit causa, quidquid datur, triplum, quod vero promittitur, duplum a comite rerum priuatarum exigatur, et dignitatem seu cingulum, quod habet, in utroque casu amittat.

Quae quum ita sint, et honorario pro patrocinio in Cap. I. aduocatis concessio, et omnibus aliis personis, quibus leges dare disposuerunt, ex analogia iuris colligi potest, omnibus personis, et aduocatis et procuratoribus, qui de lite conuenere, certam litis quantitatem non deberi, siue promissam, siue iam acceptam. Hisce enim in incertum litis, victoriaeque euentum aliquid haud dare leges disposuerunt, eosque, vt supra ostensum, de lite conuenire in genere strictim inhibuerunt. Inde constat, citatis sub verbis Imperatorem etiam pacta litis intellexisse, eorumque prohibitionem in NOVELL. CXXIV. firmiter sanxisse,

sanxiffe, formulam iurisiurandi, a litigantibus in exordio
litis praestandi, praescribendo.

§. IX.

Ex modo allegatis liquido adparet, neque aduocatum, neque procuratorem de lite, in specie de quota litis, quae, qualis, quanta sit cunque, et, vti recte adferit PETR. DE VNZOLA in *Pract. art. notariat. in tit. de diuis. pact. n. 7.* ne de minima quidem parte, iure Romano valide pacisci posse; licet nulla accedat concussio. Reuera saepenumero, quin imo prope semper in pacto de quota litis sese exferit concussio. Aduocatus, clienti hocce pactum offerens, in terrorem hunc coniicit. Clientens enim, cum aduocato si non conuenturus esset, vt ne aduocatus suo, prouti decet, fungatur officio, et vt aduocati culpa ac negligentia cliens ipse causa cadat, fore, existimans, procul tergiuersatione paciscetur. Et terror, pecuniae vel rei alterius extorquendae causa iniectus, quid aliud est? quam reapse concussio. Perinde vero est, vtrum concussio adsit, nec ne? Leges enim pure, non conditionate disposuerunt. Ratio, quam propter pactum de quota litis nullo olim pollebat valore, fuit prohibitio legis Cinciae. Qua vero iuxta Perill. I. H. BOEHMERI *Respons. supra commemorat.* cessante, multae etiam aliae, sub citatis legibus latentes, facillimo modo substitui possunt; quarum vnam quoque in medium profert ROLAND. à VALLE Vol. III. conf. XXXVI. n. 21. *Ratio, inquit, quare improbatur dictum pactum de quota litis, est, quia inducit aduocatum ad delictum: nam cognoscens habituram*

B

partem



partem eius, quod consequetur, calumniose aduocabit, et ideo dicit BAR. ff. de pac. quod siue aduocatus, vel procurator faciat pactum de quota litis, siue de certa quantitate, quia eadem est ratio, non valet.

§. X.

Accedit, quod lex generalis in Constitut. Valentin. et Valent. A. 368. in L. 6. C. de postul. et Legibus Imperii et Statuum Ordinationibus confirmata sit;

Ordinat. Camer. Imper. sub dato Augspurg 1500. Tit. 14. *Dasz hinführo die Advocaten und Procuratores in allen und jeden Sachen, was ihnen durch unsere Cammer Richter und Beysitzer taxiret wird, zur Belohnung begnügen zu lassen, und die Partheyen darüber nicht weiter zu beschweren, noch einig sonder Geding mit ihnen desfalls machen in keine Weise (wie in L. 6. C. de post. gesagt: nullam conferat pactionem), wo sie aber ichts von denen Partheyen genommen oder empfangen hätten, das sollen sie ihnen wieder geben, und das alles zu halten in ihrem Eyd schwören.*

nec non in Recess. Imper. Spirens. A. 1557. §. 50.

Vielweniger sollen die Procuratores und Advocaten andere Pacta de quota litis, remuneratoria, oder sonst unziemliche, ungebührliche und beschwerliche Conuentiones machen, und wo solches von ihnen überschritten, so sollen dieselben Pacta, Conuentiones und Geding unkräftig seyn, die Parthey nicht binden.

quin imo in Ordinat. Tribunal. Cellens. P. I. T. VI. §. 12. *der in den Rechten verbotenen Pactorum mit ihren Clienten*

ten

ten aber, bey Vermeldung der in solchen dawider verord-
neten Strafen, als womit ohnnachlässig gegen sie verfahren
werden soll.

in Ordinat. Iudic. Aulic. Calenberg. Tit. IV. §. 23.

aller widerrechtlichen Paetorum, sonderlich de quota
litis, sich gänzlich enthalten sollen.

Ordinat. Cancellar. Calenberg. Tit. IV. §. 23. iisdem ver-
bis, vt in ordinat. praecedent.

Recess. Commun. Cellenf. n. VIII.

wie sie denn auch de quota litis, noch sonst widerrecht-
lich nicht pacificiren sollen.

Ordinat. Tribunal. Vismar. Tit. XI. §. 16.

dass kein Procurator einig Gedinge des Gewinnes mit
seiner Parthey aufrichten solle, bey Poen des Rechts
und Entsetzung seines Amts.

Ordinat. Iudic. Aul. Bremens. Tit. XII. §. I.

Unser Hofgericht aber nicht allein auf der Klienten Klage,
sondern auch ex officio Einschen haben solle, dass
über die Billigkeit niemand dadurch beschweret werde, da
es hingegen geschehe, den Klienten dessen erlassen, oder
da ers gegeben, zum Wiederempfang verhelfen, über
dies den Advocaten in duplum des übermässigen Empfangs
oder Stipulation condemniren möge, und soll bey diesem
Verdacht, auf Erfordern des Hofgerichts, der Aduoca-
tus oder Procurator, mediante iuramento, was ihm ge-
geben oder versprochen, anzuzeigen schuldig seyn.

Ordinat. Regim. Bremens. de dato XV. Aug. A. 1692.

Wenn die Partheyen oder Klienten sich mit den Aduoca-
tis oder Patronis caularum nicht eines gewissen jährlichen

oder für die ganze Sache verglichen, als dergleichen Geding oder Pactum zwar erlaubt seyn, jedoch dabey die in der Tribunalsordnung gesetzte Masse genau observiret werden soll, müssen von denen Gerichten, der Billigkeit nach, wenn von den Partheyen darum angesuchet wird, nach Befinden und Beschaffenheit der Acten, taxiret und moderiret, von denselben auch sonst, bey schwerer Verantwortung, aller Möglichkeit nach, beobachtet werden, daß mehr als vorhin specificiret und vergönnet, von denen litigirenden Partheyen durch andere Erfindungen und Practiquen, auf keinerley Weise etwas erhoben oder extorquiret werden möge.

Ordinat. Iudic. Aul. Palatinat. Tit. VII. p. 21.

die Partheyen mit jährlichem Dienst- und Wartgeld nicht beschwören, oder dieselben mit Bedrohung, ihnen sonst in der Sachen nicht zu dienen, andingen, vielweniger andere Pacta de quota litis, oder sonst unziemliche ungebührliche und beschwerliche Conuentiones machen.

Ordinat. Iudic. Aul. Württemberg. P. I. p. 33. in formula iurisiurandi aduocatorum;

die Partheyen über die geordnete Belohnung, mit Erhöhung derselben, oder einig Geding, Theil oder Gemeine an der Sache zu haben, nicht beschwören.

Quibus omnibus pactum de quota litis quam maxime cum reprobatur, tum prohibetur. Conf. Grupens Abhandlung von denen Aduocatis. Cap. V.

In terris quoque Prussicis de quota litis pacisci nequam licet, ceu patet ex Cod. Frider. Part. I. Tit. XIV. §. 16.

Wir

Wir befehlen also allen und jeden Advocaten, bey Vermeidung der unnachbleiblichen Cassation, keine Gebühren, sie mögen Nahmen haben, wie sie wollen, vvenn es auch unter dem Nahmen eines Antehns, Geschenks, Caution etc. versteckt vverden vvolte, von einer Parthey anzunehmen, vielweniger de quota litis zu pacisciren.

Et haec pacti de quota litis prohibitio diuersis postea vicibus implicite reiterata extat in der Neumärkischen Regierung-Instruction de anno 1750. § 78.

Sie müssen aber bey der obengesetzten Strafe solches neque directe, neque per indirectum fordern, am vvenigsten aber sich dergleichen vor oder nach Endigung des Processes versprechen lassen, allermassen die Parthey, vvenn sie auch vltro dergleichen versprochen, nicht daran gebunden ist, und der Advocat cassiret vverden soll.

in Rescripto an das Cammer-Gericht d. 24. Febr. 1756. § 13.

Sie sollen aber bey Strafe der Cassation über ihre moderirte Gebühren, und etvva gehabte Auslage vveder vor, in, noch nach dem Prozesse das geringste fordern, auch vvas sie darüber auf ihr Fordern etvva erhalten, denen Partheyen zu restituiren allezeit verbunden bleiben.

in dem Reglement bey dem Cammer-Gerichte vom 31. Decemb. 1756. iisdem verbis, vt supra.

§. XI.

Ad satisfaciendum huic pactorum de quota litis legi prohibitiuae vi iurisiurandi a citatis constitutionibus partim imperij, partim statuum obstringuntur aduocati. Secundum

dum Codic. Frider. March. Tit. XIV. §. 61. advocatus iurare tenetur; quod neque directe, neque per indirectum prius, quam lite penitus finita, eaque per iudicata decisa, (hodie, instantia absoluta. vid. Rescript. d. 5. Dec. 1748) honorarium exigere vel accipere velit: multo minus de quota litis pacisci permittitur. Insuper iuramento firmat, quod Codicem Frid. March. quotannis perlegere velit, eum absque dubio in finem, vt, quidquid in eo ipsi partim iniunctum, partim prohibitum vel expediat, vel omittat, verbo, voluntati Regis nostri Serenissimi exacte satisficiat. Ideo per indirectum, de quota litis cum cliente quod convenire nolit, iusiurandum dat. Eidemque ne palmarium quidem sibi stipulari licitum est, quod tamen lite finita in iure Romano L. 1. §. 12. D. de extraord. cognit. permittitur. At palmarium, ante causam actam cautum, plane non peti potest *l. modo cit.*; si vero post causam actam cauta est honoraria summa, peti poterit vsque ad probabilem quantitatem (centum aureos), etsi nomine palmarii cauta sit: constituit enim palmarium, ante causam actam promissum, acceptatumque, quia in incertum victoriae eventum dari deberet, pacti de lite speciem; hoc autem nullo non caret valore. Secus res est comparata, si cliens in haec forsitan eruperit verba: operas tuas extra ordinem remunerabor; quo casu tantummodo promissio adest, promittentem per se non stringens. Quae vt vt in pactum non degeneret, iure tamen Codicis Frider. P. I. Tit. XIV. §. 19. haud toleratur. Qua donum vero secundum Instructionem der Neumärkschen Regierung de a. 1750. §. 78. et Rescript. an das Cammer-Gericht d. 24. Febr. 1756. nec non Re-
gument

glements beim Cammer-Gericht d. 31. Dec. 1756. illud accipere aduocati queunt. Ex mera tamen clientis benignitate dependet, et aduocatus doni quid ab illo extorquere nequit.

§. XII.

Praxin Germaniae notoriam de certitudine attentati testari, adfirmando, sententiae suae sustentandae calculum adiacere B. BOEHMER. *loc. supra cit.* sibi videtur. Constitutionibus vero haud paucis in contrarium iamiam adductis, istam esse falsam, extra omnem positum esse dubitationis aleam confido, nec, hoc pactum nullitate laborare, qui inficias eat, vix ac ne vix quidem vllus legitur pragmaticeorum. In camera imperii itidem iuris praxeosque esse, vt vel maxime inter compromittentes atque arbitros id pro nullo irritoque declaretur, confirmat sententia d. 16. Iulii 1757. ab ipsa lata publicataque. Vid. de GRAMER *in den Weizlar. Nebenst.* Part. VIII. n. 7. §. 15. Et ibi nomine inhonesti atque illiciti pacti generaliter hoc insignitur, certo indicio, in pacto eiusmodi aduocatorum cum clientibus ob paritatem rationis idem iuris esse. Ne fiscali caesareo quidem, nec alii cuiunque personae ita pacisci liceat, §. 13. adducitur. Id quod in nostris item obtinet terribis; quidquid in contrarium dicant dissentientes. Singulare cuiusdam doctoris effatum nobis non est legis instar. Quidquid sententiae a quodam vel recenter inuenitur, vel iam inuentae adferitur, id omne nil sane reor negotii potius ipsi esse datum, quam firma vt fulciat probatione atque inconcussa. Mittamus haec; et ab officio alienum haud puto, clientibus aduersus aduocatos ad datum recuperari.

perandum quaenam competat actio? et aduocatis, legi de pacto de quota litis prohibitiuae morem non gerentibus, quaenam infligenda sit poena? si, quin discutiam, non differrem.

§. XIII.

Quandoquidem pactum de quota litis contra leges, ideoque ipso iure nullum est inualidumque, aduocatus ex eodem actionem instituere nequit. Pacta enim, quae contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est. *L. 6. C. de pact.* Iudex aduocatum, ex pacto de quota litis contra clientem agentem, statim ex officio repellere potest ac debet. Quotam litis, aduocato a cliente datam, ut repetat, cliens in permissis habet, variis actionibus ipsi competentibus. Quoniam aduocatus quotam litis turpiter ac iniuste accepit, cliens ad eam repetendam 1) *Conditionem ob turpem vel iniustam causam* contra illum instituit. Haec ad id tendit conditio, ut turpiter, vel iniuste acceptum cum omni restituatur causa. *LEYSER. Spec. 147. med. 4.* Cliens vero aduocatum ad paciscendum ipse quum stimulauit, ea fini, ut hic omnibus utatur mediis, tum licitis, tum illicitis, ad id consequendum, quod lite adipisci meditatur, tunc aequae cliens, ac aduocatus pari turpitudine se maculant; et isti, rem seu pecuniam datam repetenti, *fiscus* eam auferit. Praeterea pacto de quota litis statim ab initio omnem lex ciuilis quia ademit efficaciam, ad soluendum cliens non obligatur, sed, quidquid datum, indebite datum est. Hinc 2) *Conditione indebiti* solum recte repositur. Ceterum litigans 3) *Conditione ex L. 1. §. 10. D. de extraord. cognit.*

cognit. L. 53. D. d. pat. etc. aduocatam experiri potest. Penes illum stat, quam sibi eligere velit actionem. Adversus heredes actioni quoque locus est, in quantum facti sunt locupletiores. Quin imo ex Ordinatione Camerae Imperii sub dato Augspurg 1500. Tit. 14. cliens, quidquid ex lite aduocato dedit, repetere potest. Et hoc iure repetendi in terris quoque Prussicis clientem gaudere, ex aliquoties citatis Rescript. an das Cammer-Gerichte d. 24. Febr. 1756. §. 13. vt et Reglement beim Cammer-Gerichte d. 31. Dec. 1756. cognitum, perspectumque habemus.

§. XIV.

Quodsi innotescit, inter aduocatam atque clientem pactum de quota litis intercessisse, confestim aduocatus priuari debet officio aduocationis *L. 5. C. de postul. siue quotam litis iam acceperit, siue non. Tenetur poena falsi ex L. 1. §. 1. et L. 20. D. de L. Cornel. de fals. „Falsi „poena coërcentur, et qui ad litem instruendam aduocatione, „testibus pecuniam acceperunt, obligationem, passionem fecerunt; societatem inierunt; vt aliquid eorum fieret, curauerunt.“* Et terrorem clienti, vel verbis, vel factis, seu directe, seu per indirectum iniiciens pecuniae vel rei cuiusdam extorquendae causa, crimine *concessionis* postulatur *L. 1. et L. 2. ff. de concession.* Nec ego abnuerim, aduocatos, pacta litis cum cliente celebrantes, a poena, in *NOVELL. CXXIV.* constituta, proxime abesse. Haec enim aequae ad aduocatos, atque ad iudices quadrat. Si quidem pecuniaria sit causa, quidquid datur, triplum, quod vero promittitur, duplum a comite rerum priuatarum exigatur,

C

tur,



*tur, et dignitatem seu cingulum, quod habet, in utroque ca-
 su amittat, in eadem, Cap. II. cautum est. Iuxta Ordinat.
 Comer. Imper. sub dato Augspurg. 1500. Tit. 14. clienti,
 quidquid aduocatus ab eo siue accepit, siue expunxit,
 restitui debet, huicque ordinationi ad conuenienter uiuen-
 dum aduocati iureiurando adiguntur. Secus igitur qui
 fecerit, quam iurauit, in crimen *periurii* incurrens ex Const.
 Crim. Carol. art. CVII. 1) *infamia* iuris notari; 2) *lu-
 crum* restituere; 3) ab omnibus *dignitatibus* excludi;
 4) *digitos*, quibus iurauit, vel in praxi, *priores articulos*
 amittere deberet. In terris Prussicis aduocatus a munere
aduocationis extemplo penitus remouetur. vid. Cod. Frid.
 March. P. I. T. XIV. §. 16. et Rescript. supr. allegat.*

§. XV.

Hinc satis superque leges eiusmodi nefariis illicitis-
 que pactis obicem posuisse, nemo non videt. Iudicis est,
 crimina ne admittantur, ideoque ne pactum de quota litis
 ineatur, omnem attendendo nauare operam. Et, vt mihi
 quidem videtur, non est, quod quis de prohibitione pacto-
 rum litis dubium suspensumque animum
 prae se ferat.





B O H M I O

IVRIVM CANDIDATO

DIGNISSIMO

s. r. d.

IO. LVDOVICVS VHLIVS

ACAD. H. T. RECTOR.

In eo iam es, nobilissime Bohmi, ut peracto feliciter studiorum cursu Berolinum redeas, expectaturus diligentiae atque uigiliarum praemia bene merita. Recte uero etiam facis, qui ante abitum studiorum rationem fautoribus atque praeceptoribus reddere, et proprio Marte elaboratam dissertationem sub praesidio ill. Praefidis publice defendere constituisti. Commendatus mihi eras ab ill. Schlichtingio, Potentiss. Regi nostro a Consil. iustit. intimis, et talem te inueni, qualem ille te descripserat. Praeparatus bene illis studiorum partibus, quae in scholis atque gymnasiis tractari debent, Academiam nostram adieras, probitate uero atque honestate studiorum omnium tibi facile conciliabas animos. Excellentissimis Professoribus, qui publica auctoritate uarias scientiarum partes tradunt, dedisti operam: hanc uero non minimam fuisse, doctissima tua testatur dissertatio, de qua ex animo tibi gratulor. Deum T. O. M. precor, uti te saluum atque incolumem praestantissimae Matri reddat, moxque aperiat campum, in quo eruditionem ostendere, fructusque percipere possis uberrimos. Vale, amicissime Bohmi, meique memoriam ne deponas rogo. Scrib. Francofurti ad Viadrum
a. d. 24. Sept. 1770.

O
V I R O
N O B I L I S S I M O D O C T I S S I M O
D I S S E R T A T I O N I S A V C T O R I


S. D. P.

P R A E S E S.

Dissertatio, quam mihi elaboratam exhibuisti, et quam **T**IBI non mutatam reddidi, nolui enim mea immiscere labori alieno, singularem satis demonstrat diligentiam, qua in ad-discenda legitima arte commilitonibus nostris exemplo fuisti. Non habitum solum cognoscendi veritates, sed et perspiciendi veritatum nexus excitasti, ideoque non eruditus solum sed et doctus a nobis discedis, qui non iurat in verba Magistri, ea-que quae ab aliis dicta sunt enumerat, sed qui ipse cogitat, ea-que, quae inter vera refert, non auctoritate sed argumentis probat. Fateor, me libellum tuum, quem meis sub auspiciis defendere **T**IBI proposuisti, siue disputandi, quod **T**IBI elegisti, respiciam argumentum, siue modum, quo illud tractasti, perpendam, maxima cum voluptate perlegisse. Per-grata erit olim recordatio, in te formando me aliquid contulisse. Laetabor si experiar, **T**IBI omnia ex voto succedere.

Vale! Viadrinae die XXIX. Septembr.

MDCCLXX.









... quaenam competat actio? et aduocatis, legi
 de quota litis prohibitiuae morem non gerenti-
 ... infligenda sit poena? si, quin discutiam, non

§. XIII.

... idem pactum de quota litis contra leges,
 ... nullum est inualidumque, aduocatus ex
 ... eodem ... uere nequit. Pacta enim, quae con-
 tra leges ... que, vel contra bonos mores fiunt,
 nullam vim ... bitati iuris est. *L. 6. C. de pact.*
 Iudex aduocatus ... de quota litis contra clientem
 agentem, stati ... ellere potest ac debet. Quo-
 tam litis, aduoca ... m, vt repetat, cliens in per-
 missis habet, vari ... competentibus. Quo-
 niam aduocatus quo ... ac iniuste accepit, cli-
 ens ad eam repetenda ... m ob turpem vel inuiu-
 stam causam contra illum ... ad id tendit con-
 dictio, vt turpiter, vel ... cum omni resti-
 tuatur causa. LEYSER. ... Cliens vero
 aduocatum ad paciscendum ... quit, ea fini,
 vt hic omnibus utatur mediis, ... m illicitis,
 ad id consequendum, quod lite ... r, tunc
 aequae cliens, ac aduocatus pari tunc ... ulant;
 et isti, rem seu pecuniam datam repet ... au-
 fert. Praeterea pacto de quota litis stati ... em
 lex ciuilis quia ademit efficaciam, ad solu ...
 obligatur, sed, quidquid datum, indebite data ...

- 2) *Conditione indebiti* solum recte repositum
- litigans 3) *Conditione ex L. 1. §. 10. D. de*

